

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

verat, qui ex tuis literis refutatus est. In Sueciæ regno omnia perturbatissima sunt. Comitatus Sudercopiæ ante fessquiannum Carolus, regis patruus, qui se Gubernatorem regni nominat, rege Sigismundo non antè consulto indixerat. Inde gravissima offensio regis secuta. & nomine ordinum totius regni Poloniæ legati in Sueciam missi, quorum orationis summam, una cum Suecici responsi capitibus in adjuncta pagella annotavi; quæ cum priore, nuper ad te missa, cui titulus est: Memorabiles aliquot evenus anni 1596. coheret. Nuptiæ sororis Regiæ & Illustrissimi Administratoris vestri ad Cal. Maji proximas, Stocholmii celebrandæ, per regis Sigismundi & Administratoris Magdeburgensis literas, amicis indicatæ sunt. Uterque enim senem Principem meum Ulricum Ducem Megapolitanum, invitavit. Georgium Rosam ingeniosissimum juvenem à me quoq; ad te literas habuisse arbitror, & filiis tuis de tali vitæ & studiorum inspectore, fide & industria, gratulor. Quod monumenta fratris, D. Erasmi, p.m. in lucem edere constituis, pietatem tuam laudo. De Ungaricis & Turcicis rebus meminisse horret animus, luctuque refugit, & Ducum nostrorum vanitatem miror, qui post fedissimam fugam tamen Thralonicè de victoria gloriantur. Ecclesiæ & Academiæ vestræ tranquillitatem, quàm prædicās, gratulor, & DEUM, ut nos omnes doceat, gubernet ac servet, oro. Bene & feliciter vale. Reverendum & Clariss. Virum, D. Joannem Pappum, Superintendentem vestrum, reverenter saluto. Rostochii. Dominica mulieris Cananæ, 20. Februarii, Anno 1597.

David Chytræus, manu
arthritica.



LXI.

S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.

Multos annos in hac urbe vixit hic Jacobus Rihelius Argentincnsis, qui ad conducendum fratri Regis Daniæ juniori hospitium nunc præmittitur. Nolui igitur sine meis literis eum ad te venire, tametsi omnia, quæ scire de hac urbe & vicinia voles, ex ipso cognosces. Mitto Legatorum Regni Poloniæ Orationem in Suecia superiori anno habitam. In qua nunc CAROLUS regis Sigismundi patruus dominatur. An Johannes Georgius Marchio, sponfus sororis Regiæ, adhuc illuc commoretur, doceri velim. Bene & feliciter vale. In feriis Pentecostes, Anno
1597.

David Chytræus,
LXII.